

sem. anis. ℥ij. Decoq. in suff. q. aq. font. Colat. ℞.j. add. Hieræ Galeni. Succ. Ireos an. ℥j. ol. rutæ ℥β. M. F. Clyster.

LXII. Per DIURETICA etiam proprie dicta vacuari potest, aquosa & pituitosa materia; non rarò enim copiosum urinæ profluvium ægris ad salutem profuit. Inter *Simplicia* excellunt radices raphani, apii, asparagi, fœnicui, petroselini: *Folia* asari, polii, betonic. dauci cretici, pimpinell: *Semina* ammeos, cicerum rubor. Flores genistæ. Inter *Eructus* allium sufficit pro pauperibus. Inter *Resinas* excellit Terebinthina tanquam medicamentum potentissimum, quod integris viribus ad vesicam devenit, ut ex urinæ violaceo odore manifestum est Exhiberi potest vel in substantia, cum pulvere Rhabarb. diarrhodon. abbat: vel in forma olei cum aqua fragorum. Ab animalibus quoque quædam mutuari possunt, sic urinas calidas commendant antiqui. Avicenna specialiter commendat urinam camelorum. LACERTARUM VIRIDIUM exsiccatarum pulverem commendat Saxonia. Alii cancrorum fluviatilium exsiccatorum, præcipuè autem cicadarum pulverem commendat *Horatius Reserus, in consil. medic. Scholtz. 131.* Cinerem bufonum diureticum esse, probat Reimerus Solenand. *consil. med. 15. sect. 5.* historia mulieris, quæ marito ascitico, exhibito eodem medicamento vitam pro morte contulit, *Autor l. 4. acut. præscribit usum cantharidum, quod hydropicorum urinas potenter moveat. Si Capivaccius l. 3. præct. c. 19.* cantharides integras, si alia non juvant, maximè salutare esse scribit. Pilulas de cantharidibus describit *Reserus in consil. Scholtz. alleg.* Nos non judicamus consultum statim ad ea accedere, sed tum demum, quando reliqui non juvant.

LXIII. Inter *Composita* excellunt Trochisci de absinthio, de Lacea; Syr. de 5. radicibus, qui semper addendi, ut viæ sint liberæ; spec. dialacæ, diacurculæ, diacymini quæ simul jecur mirum in modum roborant. Inter *Chymica* excellunt spiritus juniperi, Oli qui in quotidiano usu habeantur; oleum Lubricorum à *Clariss. Sennerto* descriptum, *Institut. lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. 6.* Lixivio ex cinere flor. genistæ cum salis absinth. ℞. nihil præstantius esse, ait *Julius Cæsar Claudinus, lib. 2. de ingress.*